



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt IV. Idem. a Cant. Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

munera Reipublicæ, seu sæcularia obire: militare enim sæpè pro negotio, curatioque Reipublicæ usurpatur. & militiæ cingulum deponere, seu suscipere in sacris canonibus significat munera, officiaque Reipublicæ, seu sæcularia delerere, seu exercere. Concilium Nicænum *can. 12.* ibi: *Quicumque vocati per gratiam primum quidem ardorem, fidei suam ostenderunt, & cingulum militiæ deposuerunt, postea verò ut canes ad suum vomitum reversi sunt, ita ut aliqui & pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent.* Concil. Matifcon.

& Syricius *in epist. ad Tarraconenses Episcopos, can. 5.* ibi: *Aut negotiis Reipublicæ optaverunt militare.* Illustrat Albaspineus *in notis ad dict. can. 12. Synodi Nicæn.* Itaque in præsentî canone Patres presbyterum occidenti prohibent in perpetuum militiæ cingulo nomen dare: item prohibetur illi conjugem recipere; sed hoc impedimentum matrimonii jam consuetudine abrogatum est, ut docuerunt Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 17. num. 8.* Koninch *de Sacramentis disp. 30. num. 25.* Layman. *de imped. matrim. cap. 15.*

CAPVT III.

Alexander III. ^a *Mediolan. Archiepiscopo.*

Significavit nobis vir P. quod F. dicto Imperatori, cum olim rediret ab urbe, castrum Verrucæ negavit, &c. Unde contigit, quod quatuor castris destructis plusquam duo millia domorum destructa fuerint, & multi homines interfecti: alia etiam mala ibidem commissa dicuntur, quæ per singula esset longum enarrare. Quoniam igitur præfatus P. Deo exinde reconciliari desiderat, & pœnitentiam dignam suscipere, f. v. per A. f. m. quat. eidem super hoc consilium detis, & ipsi pœnitentiam, secundum quod visum fuerit, misericorditer imponatis, attendentes, quod pro libertate sua, & pro Ecclesiæ devotione fecit; quia in his talem debetis discretionem adhibere, ut alii, & ipse idem pro austeritate pœnitentiæ à servitio Ecclesiæ nullatenus retardentur, nec aliquod salutis periculum merito debeat formidare.

NOTÆ.

^a *Mediolanensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* sed additur in hac sexta collectione, *& suffraganeis,* sed absque exemplari. De Mediolanensi Ecclesiâ nonnulla notavi *in cap. 27. de rescriptis.* Casus hujus textus ita contigit. Fridericus I. ex gente Sueva, sub Hadriano IV. inauguratus, dum Roma in Galliam Cisalpinam proficiscitur, in itinere vidit castrum Verrucæ, vel ut alii malunt, Verrucæ, quod paret Episcopo Vercellenfi; & cum Imperator sibi castrum

illud postulasset, Petrus nobilis ejus custos, ac gubernator illud negavit: quare Imperator ob indignationem quatuor castra cum duobus millibus domorum multis occisis deleuit: cui cladi causam se dedisse credens prædictus Nobilis, facti veniam petiit ab Alexandro III. qui jubet Archiepiscopo Mediolanensi, quatenus illi pœnitentiam cum misericordia imponat; quia cum in defensionem Ecclesiæ, & pro devotione Ecclesiæ Romanæ id fecisset, magna miseratione dignus erat: quam historiam refert Pancirola *libr. 2. var. cap. 293.*

CAPVT IV.

Idem. ^a *Cant. Archiepiscopo.*

Quod autem consulisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis profint, quam iis, qui remittentibus subsunt; hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum à non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prodesent, proprii iudices specialiter indulserunt: & in hoc eam intelligas quæstionem solutam, in qua quæritur, utrum is, qui excommunicato communicat, à suo Episcopo, vel excommunicati absolutionis gratiam debeat implorare.

NOTÆ.

^{2.} ^a *Cantuariensi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* ubi additur *pars capituli in eminenti;* unde cognoscitur, in præ-

senti referri partem textus *in cap. nos in eminenti 36. de appellat.* in eadem prima collectione. De Cantuariensi Metropoli nonnulla adduxi *in cap. 2. de rescriptis.* Textum hunc exponemus infra *in cap. penult.*